



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

86. An Pontifex possit dispensare, ut fidelis matrimonium contrahat cum Infideli non sit irritum neque jure divino, neque jure naturali, sed tantum jure Ecclesiastico? Idem dicendum est de matrimonio ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

mm priatum irreuerentia: patet: ne ex tali matrimonio confurgens: & in tali casu Pontifex non dispensaret, sed declararet ius naturale non obligare.

RESOL. LXXXVI.

An Pontifex possit dispensare, ut fidelis matrimonium contrahat cum infideli, vel heretica? Et an matrimonium fidelis cum infideli non sit irritum neque iure diuino, neque iure naturali, sed tantum iure Ecclesiastico? Idem dicendum est de matrimonio fidelis cum heretica. Et an in locis, in quibus consuetudine legitima derogatum est, ne peccatur dispensatio ad contrahendum matrimonium cum Hereticis, procedat etiam in Regibus: Ex patt. 8. tract. 1. Refol. 74.

1. Videtur negatiue respondendum, quoad infidelem: nam primo in cap. 9. & 10. lib. 1. Et separati sunt Hebraei a coniugibus infidelibus, dixerunt: & ideo Vasquez in 3. part. tom. 4. disp. 2. cap. 4. n. 10. & alij, quos citat Sanchez lib. 7. disp. 7. n. 6. allerunt matrimonium fidelis cum infideli esse irritum iure diuino. Confirmatur ex auctoritate D. Pauli 1. Corinthi 6. Nolite inire cum infidelibus, quia verba sanctus Hieronymus lib. 7. contra Iovinianum, accipit de matrimonio cum infidelibus eam, ne sensum fidelis inclinetur ad eorum infidelitatem, & vitia. Et quamuis praedicta verba intelligantur de vitio fidelium commercio; inde etiam virgines delimitur argumentum, si ipsum commercium prohibetur, ne contagione sua fidelis pereat: magis abicienda conubia, in quibus cum ille coebris voluptatis serpunt doctrinae pestiferas, & sele animus tantum insinabunt periculosus, quanto dulcius. Idem firmatur verbis illis 1. Cor. 7. Si dormierit vir eius (id est, mortuus sit, cui vult nubere, nubat etiam in Domino, id est, in Christianismo, seu nubat viro probo, & Christiano. Ita Ambrosius, Theodoretus, Theoph. Anselmus, Sedulius, D. Thom. ibi, & Augustinus 1. de adulter coniug. cap. 21. & Tertullianus lib. 2. ad uxorem.

2. Secundo eo ipso, quod Christus matrimonium persona baptizata induit in Sacramentum, videtur irritale matrimonium illius cum infideli, quia tale matrimonium adhuc ex parte personae baptizatae requirit esse Sacramentum, quia ratio Sacramenti tantum conuenit toti matrimonio quod in utroque cohaerere reperitur, & non in uno solo. Firmatur, quia alias Ecclesia non posset irritare matrimonium fidelis cum infideli, ut potest, quae in hunc nullam habet facultatem.

3. His tamen non obstantibus, dicendum est, matrimonium fidelis cum infideli non esse irritum, neque iure diuino, neque naturali. Et ita tenet Rebelius lib. 3. quest. 9. n. 1. Praeposuit in 3. part. quest. 7. de impedimento matrimon. dub. 17. num. 156. Hurtadus de matrimon. disp. 24. difficult. 1. num. 2. Coniunx de Sacrament. disp. 32. num. 3. & alij communiter. Non esse prohibitum iure naturali patet, nam Esther nupsit Asueto Regi infideli in infidelitate manenti. Item sancta Monica vitum habuit Paganum, teste Augustino lib. 9. Confess. cap. 9. S. Clotildis nupsit Clodoneo Regi Francorum ethnico, teste Gregorio Turonensi 1. c. 28. Et ratio est, quia cultus diuinitas non omnino ac irreuerentia opponitur. In matrimonij, ita ut contra suble. n. qm eius esse dicatur. Neque enim pugnat cum indiuidua vitae societate, cum fieri possit, ut nec discordia nec dissensiones oriatur, aut raro. Neque etiam impedit matrimonij finem, hoc

est, filiorum procreationem & educationem, quia licet difficile posset tamen reddi in pia religione proles institui. Vnde quomodo personae contrahentes aliquando non expediant ad prolem bene educandam, non sufficit, ut matrimonium inter eas sit ex natura rei nullum; quia quando id contingit, prouenit per accidens ex malitia personae infidelis; alias etiam esset nullum inter personas infideles ex natura rei, quia ista potius conuenient ad malam proles educationem. Non est igitur fundamentum aliquod ut dicamus, matrimonium cum infideli irritum esse iure naturali: erit quidem illicitum ex natura rei, quando est, probabile periculum malae educationis proles aut desertio: fidei in persona fidelis, sed non erit irritum firmatur, nam matrimonium personae fidelis cum heretica fere eadem incommoda afferet contra matrimonij finem, ac fidelis cum infideli aduersum enim bonae proles educationi, mutua coniugum tranquillitati ac paci estque non leue periculum peruerendi fidelem; & tamen nullus dicit hoc matrimonium esse iure naturae irritum, ergo.

4. Sed neque dictum matrimonium est irritum iure diuino.

Probatur Primo, nam, ut obseruat Praepositus ubi supra, Paulus V. in Bulla, quae incipit, *De amorum summi*, data anno 1616. 21. Iunii concessit Episcopo Funianensi in 12. omnia, & superioribus Societatis in regno Chinarum, ut ad decem annos possent dispensare in impedimento disparitatis cultus, ut matrimonia essent legitima: ergo hoc impedimentum non irritat matrimonium iure diuino cum Pontifex in impedimento iuris diuini non possit dispensare. Nec similiter dirimit iure naturae, quod praecedenti conclusione diximus, quia Pontifex nequit etiam in tali impedimento dispensare.

5. Probatur Secundo, non apparet ex Scripturae, traditione, vel Ecclesiae sensu de tali impedimento, sed potius apparet contrarium ex eo quod Christus non dederit vlla praepcepta morum, sed solum fidei, & Sacramentorum, quoad ea suscipienda. Confirmatur: Christus solum eteuauit matrimonium ad esse sacramentale, de caetero quoad seccellaria contractus legitimum illud relinquens legi naturae, iuxta quam non irritatur matrimonium fidelis cum infideli.

6. Probatur Tertio, initio Ecclesiae vix aliter potuerunt fideles matrimonia inire, quam cum fidelibus. Confirmatur ex eo quod S. Monica nupsit viro infideli, ut testatur Augustinus lib. 9. Confessionum, cap. 9. cuius matrimonium non fuit iudicatum inualidum, & ex eo quod S. Hieronymus lib. 1. aduersus Iovinianum, testetur suo tempore frequentia matrimonia fidelis cum infideli, quae licet valde improbet, non tamen censet inualida. Similiter & Augustinus lib. de fide & operibus, cap. 19. agens de matrimoniis fidelis cum infideli, ait: Quae nostris temporibus iam non putantur esse peccata, quoad reuera in nouo Testamento nihil inde praepceptum est.

7. Dicendum est igitur, matrimonium fidelis cum infideli esse solo iure Ecclesiastico irritum. Ita communiter Doctores, & sequitur ex praecedentibus dictis. Quia verò clare non constat de iure aliquo scripto, dicendum est, id patere ex receptissimo & antiquissimo Ecclesiae vsu vim legis obtinente, & ex Apostolorum traditione. Vnde Pontifex in eo dispensare potest, quia in omni iure Ecclesiastico potest dispensare. Ita Hurtadus, & alij ubi supra.

8. Restat modo respondere ad argumenta superioribus posita. Et ad locum Esdrae respondeo; praepceptum illud quatenus irritat praedicta matrimonia iudiciale fuit, & consequenter morte Christi expravit. Quod fuerit iudiciale, liquet ex eo, quia cum solis infidelibus inuicem terra Chanaan coniugia interdicta fuere.

LIBRO DE MATRIMONIO

LIBRO DE MATRIMONIO



Vnde cum *Ephes. 1. cap. 9.* numerantur *Aegyptij* infidelios incolas, ut notauit recte *Caietanus*. In noua uero lege gratiae idem constat, quia generaliter in lege gratiae nullum ius diuinum pure positum agnoscitur. Tum quia nullus est locus Scripturae sacrae in nouo Testamento, in quo ea irritatio contineatur. Tum etiam, quia in lege gratiae nullum ius diuinum pure positum agnoscitur, praeterquam fidei, & Sacramentorum. Cum ergo praecipuum hoc non pertineat ad fidem, uel Sacramenta suscipienda sed ad contractum naturalem à Christo eleuatum ad Sacramentum rite celebrandum, si naturale non est, ut probauit nec diuinum positum erit. Non enim *Christus Dominus* in matrimonio aliquid immutauit, quod ad ius naturae pertinet, sed tantum id, quod contractus quidam naturalis erat, eleuauit ad esse Sacramenti.

9. Ad confirmationem testimoniorum *D. Pauli* respondeo testimonia relata solum probare id matrimonium iure diuino esse prohibitum; in illis tamen nulla de eius irritatione mentio fit. Ex alio capite fiat matrimonium iure naturali, uel positio prohiberi, & non esse irritum eo iure, nam matrimonium contra priorem sponsalium fidem, uel aduersus simplex castitatis uotum emissum in saeculo, est prohibitum iure naturali distante fidem homini per sponsalia datam esse praestandam, & iure diuino esse Deo soluendum si dem; & tamen constat in neutro euentu matrimonium esse irritum.

10. Ad secundum argumentum respondeo, Christum non instituisse in sacramento Matrimonium personam baptizatam adhuc ut parte Sacramenti, nisi quando etiam est cum altera baptizata, quamuis non possit fieri Sacramentum, quia etiam matrimonium inter non baptizatos potest valide fieri, quamuis non fiat Sacramentum. Quare dictum matrimonium tamen irritum fit in ratione Sacramenti, quia nequit diuino iure consistere, nisi inter duos fideles baptizatos: non tamen erit inualidum in ratione contractus naturalis, attento solo iure diuino, sed solo iure Ecclesiastico. Ad confirmationem negatur sequela. Nam satis est Ecclesiam habere potestatem in personam fidelem baptizatam, ut possit eius matrimonium cum infideli irritare; quia cum matrimonium necessarium exigit duos contrahentes habiles, eo ipso, quod Ecclesia reddat inhabilem fidelem, ut cum infideli contrahat, corrumpit omnino matrimonium quod nequit claudicare.

11. Sed quid dicendum de matrimonio fidei cum haeretica, an sit nullum. Ratio difficultatis pro parte affirmatiua desumitur ex *VI. Synodo can. 72.* dum matrimonium inter personam Catholicam & haeticam dicitur irritum, & esse dissoluum.

12. Conueniunt tamen communiter Doctores, matrimonium inter dictas personas esse validum. Ita *Sancius lib. 6. disp. 72.* & *Aegidius disp. 31. dub. 3.* & id supponitur in *e. decret. 14. de haeticis, in 6.* Et ratione constat, quia id nullo iure irritatur, quia non Ecclesiastico scripto, quia nullum extat dictum autem *can. 72.* in quo irritum dicitur, nullius est auctoritatis, quia non fuit editus à *VI. Synodo*, sed post ipsam dissolutam, cum multis aliis canonibus, quos *Trullanos* uocat, editus fuit à nonnullis Episcopis: neque id irritatur iure aliquo Ecclesiastico, quod consuetudine sit introductum, aut esse constat, quia non fuit Ecclesiae in usu, sed potius oppositum.

13. Addimus tamen, matrimonium inter dictas personas esse prohibitum iure Ecclesiastico, ut patet ex concilio Chalcedonensi *can. 13.* & ex communi consuetudine Ecclesiae id habentes ut illicitum: &

non esse prohibitum alio iure, non diuino, quia de eo non constat, neque naturali, quia id non est contra rationem, seclaso probabili periculo peruersionis personae, Catholicae, & male educationis prolis, cui uere potest obuiari. Vnde Pontifex in dicta prohibitione dispensare potest, ut inter dictas personas possit licite contrahi matrimonium. Ita *Hurtadus de matrim. disp. 24. diff. 2.*

14. Et idem *Perez de matrim. disp. 46. sect. 2. n. 7.* docet posse Papam dispensare, ut fidelis cum haeretico contrahat, sicut ut & fidelis cum infideli non baptizato contrahat. Hoc est certum, quia Pontifex dispensare potest in omni iure Ecclesiastico, quo attingit matrimonium cum haeretico illicitum est, & illud aliud cum infideli est irritum. Quod si Pontifex dispense ex iustissima causa ut si haeticus, uel infidelis esset potens, & speraret eius conuersio, & publicum subditorum bonum spirituale, nec immineret periculum proliis, quia paratus esset permittere, ut catholicè educarentur; quo casu illud matrimonium desineret iuri naturae repugnare, tunc certe talis dispensatio non solum esset valida, sed licita, & omni profus culpa vacans. At si dispensaret Pontifex sine ulla iusta causa; ea dispensatio non excularet contrahentes à peccato mortali contra ius naturae, at efficeret validum matrimonium, ut potest quod solo iure Ecclesiastico irritetur. Vnde istud matrimonium ualere, sed illicitè contraheretur, quatenus iure naturae est illicitum. Sicut si Pontifex dispensaret abique legitima causa, ut Sacerdos uxorem duceret ualere matrimonium, quo solo iure Ecclesiastico erat irritum, at peccaret mortaliter Sacerdos contra uotum castitatis quod iure naturali diuino impedit matrimonium. Ita *Perez*; sed hic obiter quare, an in locis, in quibus consuetudine legitima derogatum est, ne petatur dispensatio ad contrahendum matrimonium cum haeticis procedat etiam in Regibus. Et affirmatiue respondet *Emin. Cardinalis Lugo in doctissimo tr. de Fide disp. 22. sect. 22. num. 10.* quia si non tenentur petere dispensationes subditis; ergo neque Princeps; sed ego nego consequentiam, nam est dispar ratio inter matrimonia Regum & aliorum, nam matrimonia regum sunt maioris momenti & possunt multa pericula & inconuenientia adducere; quae quidem diiudicanda, & perpendenda sunt, non ab alio, nisi à S. Pontifice, & idem nostram sententiam tenet *Hurtadus de Mendoza vol. 1. de Fide, disp. 76. §. 233.* itaque in permissione dictae consuetudinis, nunquam Pontifex intelligitur includere Reges.

## RESOL. LXXXVI.

An Pontifex possit dispensare in radice matrimonij in ut legitimum succedat etiam ad temporalia.

Et aduertitur Pontificem grauius peccaturum, si sine aliqua magna causa hanc legitimationem, seu dispensationem in radice concederet.

Et ex doctrina supra a dicta questionis inferitur, an uocatus ad feudum, maiorem, fidei commissum, & ideo exclusus, quia professus in approbata Religione, uel Sacris iniuriatus, si à Papa dispensetur, ut nubat; an ipse sic dispensatus succedat in maiori feudo, & fidei commissum, non obstante quod substitutus in pacifica maneat possessione. Ex part. 8. tr. 1. Ref. 7.

§. 1. Diximus supra, posse Pontificem dispensare in radice matrimonij. Nunc uidentum est, an hoc procedat etiam ad temporalia, & negatiue

Quamuis non  
plene sup.  
hoc, & seqq.  
lege tamen  
in tom. 2. tr.  
6. doctrinam  
Ref. 11.